



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

3 Illegitimus sine dispensatione incapax est beneficij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

ius super quo dispensare potest, secus tamen est in Episcopo.

Dispensatio prohibens filium obtinere beneficia patris in eadem ecclesia, cum sit exorbitans, & odiosa, non comprehendit nepotem legitimum ex filio illegitimo.

DECISIO I.

Ex consil. 1. in vrisque.

Filius natus in figura Matrimonij, qui multis annis credidit se filium matris suae, & omnes etiam communiter, ubi natus, & educatus in sua infantia, & pueritia fuit, eum pro legitimo habuerunt, iuste, & tamen conscientia credere potest se legitimum esse, quamvis eius mater postea, & vivens, & moriens dicat illum non esse legitimum, & credendo firmiter se legitimum esse, sine dispensatione, aut scrupulo ordines sumere potest; Quod si ob dictum matris dubius sit, & dubium illud aut non potest, aut deponere non vult; non potest sine peccato, & dispensatione ad ordines promoveri, quia qui contra conscientiam suam agit, edificat ad gehennam, c. fin. de praescrip. & c. ad audientiam, de homic.

DECISIO II.

Ex consil. 2. deest in Novis.

Illegitimus putans se habere dispensationem Papae ad ordines sacros, cum tamen non haberet, nisi commissam de dispensando ordinario missam; & bona fide sub diaconatum ab alio Episcopo cum literis dimissorijs accipiens, in suspensionem, & irregularitatem non incidit, ex Nau. c. 25. nu. 70. & ea. 27. nu. 155. Et licet subdiaconatum ita sine dispensatione sumendo suspensus fuisset, eum tamen Episcopus originis dispensare potest, maxime cum praefata ordinatio facta sit bona fide sine dolo, c. Lug. diuensis, & gl. c. non inuitati q. 2. cum Episcopus regula riter ab omni suspensione lata a iure absolueret possit, ita s. y. ver. suspensio. q. 8. arg. ca. nuper. de sent. exc. vnde fiscal. Episcopo absolutus, ad superiores ordines ascendere v. licet: Ab irregularitate vero si quam contraxisset illegitimitas celebrando in suspensione, virtute iubilaei, neque in foro exteriori, neque in interiori absoluti & liberati potest: sed neque per iubilaeum absolui, quis valet a suspensione quoque ad forum exteriori, nisi id in eis exprimat, quod tamen rarissime fit, quamvis in foro conscientiae a suspensione iubilaei virtutem liberandi habeant, cum iubilaeum Dei regulariter respiciant.

DECISIO III.

Ex consil. 3. alias 6.

Collatio beneficii, aut canonicatus facta illegitimo. Cum quo episcopus originis solum dispensavit ad ordines minores, & non ad beneficium, non est valida, ca. si. de filiis presb. Et quamvis episcopus originis cum illegitimo non solum ad ordines, & beneficium simplex, ca. 1. & 2. de fil. presb. in 6. sed etiam ad canonicatum Ecclesiae cathedralis dispensare potest, ex Atzh. in d. cap. 1. & 2. de fil. presb. in 6. ad talem tamen canonicatum dispensare non censetur, nisi id exprimat. Franc. in capit. 1. de fil. presbyt. in 6.

DECISIO IV.

Illegitimus factus religiosus, per professionem factus legitimus, sine dispensatione, & sacros ordines assumere, & alia quaecunque beneficia manualia, & officia regularia sui ordinis, & monasterij habere potest, si careant cura animarum, & quae, qui habent, non dicuntur prelati, c. 1. de fil. presb. & Card. in ibid. & solo iuri iuraturae conventuales sunt manualia, & quae ad nutum dantur, & aufertur possunt, c. 2. & c. cum ad Monasterium, s. tales, de statu monach. Praelati autem soli proprie sunt episcopi, & superiores eorum, & Praefecti ecclesiarum collegiarum secularibus, vel Regularibus, & non alij, etiam si copiosos redditus habeant, ca. cum ad ecclesiarum, de off. ord. ca. cum in illis, s. illis vero,

de praeb. in 6. Card. in cle. Dudum, s. statumus, q. 9. de sepult. illegitimus autem regularis sine dispensatione beneficium curatum habere nequit, etiam si illud Manuale sit. Ant. & Card. q. 8. & 9. in c. 1. de fil. presb.

[Nunc autem omnia circa illegitimos iuxta constitutionem S. D. N. Sixti V. & eius declarationem intelligenda sunt addita moderatione Bullae Greg. 14. incipientis, Circa inspecta anno 1590.]

DECISIO V.

Ex consil. 4. alias 9. de praebend.

Commenda beneficii, vel collatio beneficii in commendam facta, si temporalis sit, ca. Nemo deinceps, de elect. in 6. qualis est etiam illa, per quam beneficium litigiosum commendat ordinarius alicui, ut serviat ei lite pendente, c. 2. vt lit. pend. in 6. & per quam hodie commendatur ecclesia parochialis per viam vicariae, donec illi de Rectore provideatur: prout statuit Conc. Trid. sess. 24. ca. 18. de refor. & per quam Papa solet aliquando beneficium sibi reservatum vacans commendare alicui, donec illud alicui conf. rat, non dat ius in beneficio, nec commendatarius facit fructus suos, neque est praelatus beneficii, sed procurator, habens tamen legitimam administrationem: Commenda vero perpetua, per quam Sedes Apostolica confert beneficium in Commendam quoad vitam Commendatarij, c. illud, c. qui plures, c. relatio, d. 2. q. 1. Pan. in c. querelam, de relect. & Gomez. in regul. de infir. resign. q. 13. & de trien. possess. q. 5. habetur pro titulo legitimo, & commendatarij tales pro Praelatis habentur, & faciunt fructus suos, & facere possunt quicquid possunt titulares, exceptis ijs, quae per literas commendatorias eorum excipiuntur.

DECISIO VI.

Dispensatio ad vnum beneficium expirat per acceptationem alterius collati in Commendam perpetuam, c. 1. de fil. presb. in 6. & Gomez. ubi supra, q. 5. non tamen si commenderant temporales, tunc enim per illas dispensatio non censetur extinguui.

DECISIO VII.

Ex consil. 5. alias 2.

Comes Palatinus, aut alius secularis princeps cum illegitimo ad ordines minores, aut beneficium simplex dispensare nequit, cum huiusmodi facultatem legitimandi quoad spiritualia non habeant; vnde collatio beneficii illegitimo alicui, a talibus dispensato, facta nulla, & invalida est, cum omnis illegitimus ante debitam legitimationem, vel dispensationem ab habente ad hoc potestatem, beneficii ecclesiastici incapax, & inhabilis sit, ex toto tit. de fil. presb. & eo. tit. in 6. ordines autem Minores virtute talis legitimationis a Principe seculari factae suscipiens non est ipso iure suspensus, suspendi tamen potest, cap. vel non est compos, de temp. ord.

DECISIO VIII.

Ex consil. 5. in Novis deest in antiquis.

Illegitimus ab Episcopo, cui neque ratione originis, neque ratione beneficii, neque ratione domicilij subditus, ad ordines Minores sine expressa dispensatione ab illegitimitate, male ordinatus esse censetur, cap. primo, de filiis presbyt. in 6. Neque episcopus talis sic aliquem ordinando aut potest, aut secum tacitus dispensare censetur. Quamvis enim Papa, quando aliquid facit contra ius, super quo dispensare potest, tacitus dispensare iudicatur Arg. l. quidam consulebat, ff. de regul. iur. Secus tamen in episcopo dicendum est, ex Pan. in ca. diuersis fallacijs, de cler. coniug.

DECISIO IX.

Ex consil. 89. & 10. in Novis, eadem sunt, desunt in antiquis.

Filius qui ante Concilium Tridentinum, sess. 25. de ref. c. 15. ex dispensatione Papae beneficium obtinuit in Ecclesia, in qua pater eius mortuus fuerat beneficiatus, mortuo